



AN. XXI - N. 128.

MM. JULIO et AUGUSTO

AN. D. MCMLI

# Palaestra Exercitatoria

## Nativitas Pueri Dei

*Ad cunas fragiles currite Parvuli  
Divi, vos homines, psallite Prodi  
terrae; pauperiem dividit hospitus  
nobiscum profugis ab Hoc.*

*Crudeles paleae frigora conserunt  
artus in teneros, et stabuli boum  
diris dira suis stramina spiculis  
poenas efficiunt novas.*

*O divine Puer, sanguine nobili  
enate, atque loco deposite in gravi  
nostra molite; verte tuos Dei  
ad nostros oculos Humi.*

*Quisnam sane hominum, talia sentiens,  
multis a lacrimis temperet omnium?  
Sese lanigeris ex gregibus ferunt  
pastores stabuli cavo.*

*Et voces tremulae jam resonant prope,  
puro namque chorus pervenit ex polo*

*terris angelicus, candita membrula  
divini ut Pueri colat.*

*Lucet stella micans in nitido jove,  
ortus explicitus nuntius Illius,  
qui terras, homines, sidera, cunctaque  
fecit, Maximus Artifex.*

*Cum Reges videant auguriis bonis  
stellam perspicuam, mox iter in locum  
arcani faciunt, munera dignius  
et pastoribus offerunt.*

*Vae! quantum nivium decidit in solum!  
Ut fortes hiemes antrum agitant cavum!  
Ac Illi orbe suo nec domus ortui,  
ad somnum neque lectulus.*

*Purum sollicitae Cor, nihilominus,  
vitans, Matris habet, frigora, pro domo;  
leni proque teco non gremium modo,  
sed pannos manuum quoque.*

A. M. BARRIENTOS, C. M. F.

Xerae Equitum ad Aquas-Sanctas, e VI Latinitatis c.

## Immaculatae Deiparae Conceptionis

*Virgini cantus hodie dicemus,  
Quae scelus mundi reparabit ingens,  
Quae reis nobis dedit et salutem  
Labe notatis.*

*Nobiles hymnos modulentur omnes;  
Glorias ejus celebrent in astra;  
Hoste portatum pariter triumphum  
Laudibus ornent.*

*Splendor en nostrum decus et corona  
Angelos, Virgo, superans pudore,  
Cujus ad natum pavet et veretur  
Infera turma.*

*Fraude portasti, Satana, trophaea  
Victor humani generis; sed ecce,*

*Quae teret saevum caput et superbum,  
Surget in orbem.*

*Virgo, nunc hostes etiam, draconis  
Quaque vexillum tumidi sequentes,  
Qui tenent cunctos populos et orbem,  
Contere victrix.*

*Da tui Cordis, Genetrix Maria,  
Filiis vitam maculis carentem,  
Semper ut crescat animis eorum  
Candida virtus.*

*Laudibus gentes celebrent Satorem  
Omnium rerum Genitumque Verbum,  
Spiritum Sanctum pariter superna  
Munera dantem.*

ALPHRIDIUS AGÜERO, C. M. F.

Sancti Dominici Calceatensis.

# TEXTOS PALAESTRA

## Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 1. <sup>º</sup> (2. <sup>a</sup> edición)	12 ptas.
	»	Historiae Sacrae Compendium (3. <sup>a</sup> edic.)	5 ,
Segundo curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 2. <sup>º</sup> (2. <sup>a</sup> edición) ( <i>en prensa</i> )	
	»	Repetitorium (Libro de prácticas)	15 ,
	»	Epitome Historiae Graecae (4. <sup>a</sup> edición)	6 ,
Tercer curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 3. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
	<i>Ramos,</i>	Corneli Nepotis Vitae	5 ,
	<i>Mir,</i>	Ciceronis Epistulae Selectae	4 ,
Cuarto curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 4. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
	»	Caesaris de Bello Civili, 2. <sup>a</sup> edic.	6 ,
	»	Ciceronis pro Archia poëta	4 ,
	»	Ciceronis in Catilinam	4 ,
Quinto curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 5. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
	<i>Martija,</i>	Vergili Aeneidos (libro 2. <sup>º</sup> )	6 ,
	<i>Mesa,</i>	Sallusti de Conjuratione Catilinae	6 ,
	<i>Mir,</i>	Nova et Vetera (método directo del latín)	20 ,
	<i>Planque-Planas,</i>	Gramática Griega	36 ,
Sexto y séptimo curso	<i>Jiménez,</i>	De Orthographia Latina	6 ,
	<i>Martija,</i>	Prudenti Carmina Selecta (2. <sup>a</sup> edición)	5 ,
	<i>Sarmiento,</i>	Martialis Epigrammata	4 ,
	<i>Mesa,</i>	Titi Livi Historiae Selectae	8 ,
	<i>Zuluaga,</i>	Horati Carmina Selecta	6 ,
	<i>Ruiz,</i>	Homeri Odyssea (Primer canto)	10 ,
	<i>Ramos,</i>	Xenophontis Anabasis (Primer libro)	12 ,

## Edición de sólo texto

Ciceronis Epistulae . . . : 2 ptas.
Ciceronis in Catalinam. . . 2 ,
Ciceronis pro Archia . . . 2 ,
C. Nepotis Vitae . . . 2 ,
Sallusti de Catilinae Conjuratione 3 ,
Titi Livi Historiale . . . 3 ,
Vergili Aeneidos (lib. II) . . . 3 ,
Horati Carmina . . . 3 ,

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadrados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28 —
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32 —
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30 —
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30 —
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32 —

## NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

**EDITORIAL LABOR, S. A.**

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRABADOS

# CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27'69'35

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# PALAEASTRA LATINA

Quas leges sequi oporteat ut  
nostra aetate latine scribamus



Diu multumque apud viros eruditos disceptatum est quodnam dicendi genus adhibendum sit cum nostra aetate latine conscribamus. Fuerunt —hodieque sunt — qui Latinitatem classicam nimium forte adamantes adeo veterum scriptorum viam ac rationem insequuntur ut, quod non fuerit a Cicerone vel Caesare prolatum, quasi abjectum ac putidum aestiment, ea tantum verba probantes ac locutiones usurpantes quae in eorum lexicis et scriptis continentur. Hi profecto minime perspiciunt innumera esse recentiora rerum inventa quae nova postulent vocabula, quae certo ab illis classicis scriptoribus essent recepta. Nimia igitur religione hi Latinitatem excolere videntur, ac, dum vetera semper proferunt vocabula —res nostrae aetatis exprimentes—, saepius longioribus locutionibus utuntur, quae facile probro sunt Latino sermoni —quem suo loquendi genere pauperrimum dictitant et confitentur—, ac taedio legentes afficiunt.

Illa tamen artior religio quodam modo probari potest —et aliquando debet— estque laxiori illorum audaciae praferenda qui linguam Latinam sive in novandis vocibus, sive in ipsa grammatica novam exstruunt linguam, similem illi quae «*sperantica*» est appellata.

Quae quidem quaestiones —eae praecipue quae ad vocabularium et grammaticam spectant— exagitatae sunt in commentariis Latinis —in «Alma Roma», in «Societate Latina», in «Auxilio Latino», in commentario «Per lo studio e l'uso del Latino», in hac PALAEASTRA nostra LATINA, ceterisque—; atque societas quae enascentes difficultates enodaret, rectam panderet viam, jussaque ab omnibus obsequenda proderet, est excogitata. Plurimum laboris ac sudoris in illud a viris doctis est impensum; ac superis placeat ut omnium vota perficiantur et illa condatur societas quae nimiam constringat laxitatem, nimiamque temperet religionem, cessentque sermones illi atque scripta —in primis quae in erudiendis ad Latinitatem adulescentibus spectant— in quibus horridum loquendi genus præbetur.

Quae quidem saepe mente agitavimus et cum præclarissimo nobisque in

PAIAESTRA LATINA conjunctissimo socio P. Avenario in medium protulimus, ut, quod sapientiores melius et elegantius viderint, proderent.

Tandem, re diutius excogitata atque perpensa, quasdam quasi leges vel normas concinnavimus quas utiles futuras arbitramur, iis qui Latinam adhibent linguam et quae altioris disputationis causa sapientioribus esse poterunt. Quae, si mente tantum expenduntur, facile probabuntur, re tamen vera difficultiores evident cum in usum inducantur ac varia hominum placita et opinio-nes enascantur ac prodeant.

Ne vero diutius immoremur illas —quaecumque sunt— legentibus normas praebemus ex quibus aliae ex veteribus, aliae ex recentioribus scriptori-bus saepe desumuntur. (1)

I) Ille sermo Latinus comparandus est atque adhibendus nostra aetate qui lectione et imitatione scriptorum omnium continuo ditescat et accrescat et quam proxime accedat ad Ciceronis elegantiam et puritatem.

De lectione et imitatione scriptorum classicorum illud jam monuerat clmus. Jo. Gott. Heineccius: «Neque sola scriptione Latinae eloquentiae facultatem adsequimur. Quid enim juvabit scribere, nisi antea ipsam linguae indolem ac genium animo conceperis? Id vero qua alia ratione con-sequi possit, quam *lectis diligenter auctoribus*, ego quidem vix intellego.» (*Fundamenta stili cultioris*, Venetiis, 1781, p. 266).

QUI SCRIPTORES LEGENDI? — «*Omnes* legendos auctores, et ex iis optima quaevis in usum nostrum esse seponenda, ipsi... docuimus. Neque tamen ideo *omnes promiscue sunt imitandi*. *Unus, isque optimus, eligendus*, cuius ad exemplum *totius orationis habitum componamus*.» (HEINECCIUS, *Fundamenta stili c.*, p. 308).

NON TAMEN PROMISCUE IMITANDI, QUANQUAM OPTIMA EX OMNIBUS SELIGENDA. — «Fieri non potest, quin inaequali ac sibi parum simili adsuescant dictio*n*i, qui per omnes vagantur auctores, et modo hunc, modo illum imitantur. Vix oculos prudentum ferret aedificium, in quod architectus ex mille diversissimae structurae palatilis conjectisset, quidquid pulcrum ei visum esset...» (HEINECCIUS, *Fundam. st. c.*, p. 308).

QUIBUS CONSENTIT MURETUS. — «Immo vero, adhibeo judicium, habebo delectum, et cum ex iis potissimum qui antiquitatis quoque principes visi sunt, Cicerone, Caesare, Terentio, altis, quam plurima sumpsero: cum orationis meae genus ad eorum exemplar quam maxime potuero, conformaro, ex aliis quoque bellissimum quodque carpam, et quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor: neque in iis modo quos paulo ante nominavi, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, et quod magis mireris, Apulejo, Cassiodoro, Martiano etiam et Sidonio Apollinari, multa reperiam, quibus suo loco positis oratio uberior et ornatiō fiat» (MURETUS, R. II, 346, cfr. SOCIETAS LAT. 1943, p. 27). Nam «...semper (MURETUS) ex Ciceronis, Terentii, Caesaris, eisque finitimarum scriptis velut e purissimis fontibus, sermonis puritatem esse hauriendam putabat» (Cfr. Soc. LAT. 1943, p. 28).

II) Ex quo efficitur: praecipuam maximamque curam adhibendam in vero sermonis Latini colore comparando: sit igitur semper *incorruptus, purus putus sermo noster*.

Nobisque consonat Dr. G. Lurz: «Tale dicendi latine genus est eligendum, quale minime abhorret ab Latinitate quae dici solet classica (i. e. in primis aureae et argenteae aetatis Latini-tas) idemque est dilucidum, praecisum, non obscurum, non moleste longum. Petenda est dictio

(1) PAIAESTRA LATINA, 1949, p. 10; ac toto anno 1950 et 1951.

quantum fieri potest classica, eademque practica, i. e. non discrepans a vitae usu et utilitate (Soc. LAT., 1936, p. 52). Praeterea: «Nulla significationis amplificatio, nulla vocum transformatio, nulla novarum vocum usurpatio, omnino nulla mutatio est licita, nisi quae congruat rationi et naturae sermonis nec pugnet, ut ita dicam, cum genio Latino» (Soc. LAT., 1936, p. 52).

III) Illa vero pura Latinitas nequaquam obnubilatur si cum prudentia et moderatione vocabula admisceantur quae originem sumant a matre Latina (et aliquando a Graeca) aut quae in cultioribus omnium gentium linguis usurpantur.

Cirandum igitur in primis ut verba sint Latina ex proprio fonte derivata, nam ut admonet Quintilianus, «sint quam minime peregrina et externa (verba)... Quare, si fieri potest, et verba omnia et vox hujus alumnū urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur non civitate donata». (*Inst. Orat.* 8, 13) — Sic apte effectae: *decimetrum*, *millimetrum*, *displosio* (explosión), *evigilatorium* (despertador), *electrivector* (conductor de tranvía), *expositorium* (mostrador), *extrahaculum* (sacacorchos).

Quod si a lingua Graeca vocabulum mutuemus, licentiam ab Horatio datam, pudenter sumamus: «ne ut quidam, Graeca verba inculcantes, jure optime rideamus» (Cic., *De Off.*, 1, 31).

— Optime igitur: *chil(i)o grammum*, *automōlus*, *grammophōnum*, *hecatolitrum* (vulgo *hectolitrum*).

Cum autem aetas nostra innumerās induxit res novas saepe ad linguas hodiernas erit confugendum. Tunc vero illa cl. Dris. H. Lis verba aptissime rei nostrae congruent: «Nomina nobis necessaria minime semper ex linguis romanis arcessenda sunt, sed in primis a thesauro totius Latinitatis, qui est fons nondum exhaustus, proficiscendum est. Praeterea scilicet si modo res postulat, novitates posteriorum saeculorum recipiemus». (Soc. LAT. 1040, p. 25). — Sic ex Latinis vocibus effectae sunt *pediludum* (*folliludum*) (foot-ball), *birōta* (*binae rotæ*) (bicicleta), *complancitorium rugarum* (plancha), *ferrivia*, *fulminivōrum* (pararrayos); sic quoque ex hodiernis linguis desumpta: *granata*, *bomba*, *sclopētum*, *postalis*, *cafēum*, *alphabetum*, *abecedarium*, cet.

Illa tamen sententia Dris. Padberg-Drenkpol (Cfr. Soc. LAT., 1939, p. 46) — a Dre. G. Lurz in Societate Latina relata — nimium ampla nimiumque indulgens videtur nisi caute ac prudenter intellegatur: «Vocabulum omnibus tere linguis neolatinis, i. e. romanis commune, cum linguae illae nunc vicariae sint sermonis Latini, in hunc, si vivus foret, certe esset inductum. E. gr. omnes fere habent vocem, quae Italī est *pipa*; non videtur dubium (!) quin ipse Cicero redivivus sic nunc appelleret nostram •Pfeife• (!)...

III) a. Superiorem regulam alia veluti ratione proferre possumus: «Neque tamen faciles in cūdendis novis vocabulis esse debemus, sed circumspectissimi; nam primum omni studio *veteres ac recentiores scriptores* sunt investigandi, quod si justam vocem non inveniamus, tum demum ex ipsa lingua Latina aut ex hodiernis linguis novam proferamus vocem.

Ex poētis, inscriptionibus (1), cet., multa educi possunt verba ad res nostras aptissima, sic: *species victui atque usui necessariaz* (géneros, artículos de primera necesidad), *optio officinatorum* (contramaestre), *contrascriptor* (registrador), *exercitator* (instructor militar), *omnia commoda praestantur* (con todas las comodidades modernas), *dardanarius* (estraperlista), cet.

III) b. Qua in libertate — in novandis sc. quibusdam vocibus — anti- quos sequimur duces, qui res peregrinas peregrinis vocabulis, sed ad suam linguam conformatis appellare non dubitabant.

Tullius enim de Graecis: «Etiām Graeciſ licebit utare cum voles, si te Latina forte deficent. Bene sane facis Sed enītar ut latīne loquar, nīsi in ejusmodi verbis, ut philosophiam aut rhetorīcam aut physicā aut dialecticā appellem, quibus ut alīs multis consuetudo jam utitur pro

(1) CIPROTTI, «ut latine scribamus...», in ephem. *Per lo Studio e l'uso del Latino*, 1942 p. 69-73

Latinis» (*Cic. Acad. post.*, 1, 7, 25). —Sic in Latinum invecta sunt *satrapa*, *paradisus*, *gaza*, *parasanga*, *acinaces*, *petor(r)itum*, *raeda*, *lancea*, *mappa*.

III) c. Veteres enim scriptores libentissime amplexuri essent plurima rerum novarum *recte novata nomina quae temporum tractu in vocabularium Latinum sunt inducta* aut quae nostra aetate difficillime intellegi possunt nisi ho-diernis et nostris verbis utamur, quaeque ex classica Latinitate vix hauriri possunt.

Nobiscum profecto consonat Tullius: «Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina» (*Nat. Deor.* 1, 17, 44) et Horatius: «Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem.. Licit semperque libebit / Signatum praesente nota procudere romanum» (*Art poēt.* 52, 57). Et Divus Augustinus: «Blaterent quidquid velint grammatici terminum videlicet «*Salvator*» haud Latinum esse» (*Serm.* 299, 4); et Erasmus: «Si barbarum habetur quidquid est novum et recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara».

Multa igitur ecclesiastica vocabula immutabilia sunt pluraque sancte retineamus, quin tamen prohibeamur elegantiora in cultiore sermone proterre. Ad rem Muretus: «Tibi, Dari, auctor sum, in primis ut ne eorum stultitiam imiteris qui usque eo antiquitatis studiosi sunt ut voces quoque Christianae religionis proprias refugiant et in earum locum altas substituant, quarum nonnullae etiam impietatem olen: qui non fidem, sed *persuasionem*, non sacramentum Corporis Domini, sed *sanctificum crustulum*, non excommunicare, seu diris devovere.., non baptizare, sed abluerre dicunt..» (MURETUS, cfr. *Soc. LAT.* 1943, p. 29).

IV) Voces tamen recens effectae ad leges derivandi et componendi in lingua Latina conformari debent; ita ut recte structae et elaboratae sint.

Nam *praecepta grammaticalia* (in quibus derivandi et componendi leges continentur) ex Latinitate aurea (argenteaque) debent esse immutabilia. Quod si hanc normam neglegamus, *color ac genium Latinum profecto evanescet*. —Sic aptius composita videtur *ferrivia* quam *ferrovia* nam prima compositi pars fere in -i desinit; interdicantur: *vapornavis*, *osharmonica*, *disarmatio*, cet.

V) E quibus concludere licet: Nova illa vocabula rejicienda esse quae a Romanis alia voce aut locutione reddita sunt, nisi forte aliquando recens inventa vocabula significantiora et intellectu faciliora sint.

Sic *caute* admitti possunt: *abecedarium*, *analphabeta*, *idealis*, *egoismus*, cet.

VI) Voces flexione Latina carentes improbandae sunt, eaque donari debent. Dicendum *cogniacum* (vinum) (=coñac, cognac), *rhumum* (ron, Rhum), *lac coagulatum* - forte *lac jog(h)urt(h)inum* (yog(h)ourt); melius quoque esset lingua *inda-europaea*, quam *indo-europaea*, *Hispanus-Americanus*, quam *Hispano-Americanus*.

VII) Quodsi aliquando hanc flexionem facile non admittant, praeponenda est vox aut locutio quae vocabulum a Latinitate alienum ostendat.

Sic: *musica*, quam vocant, *jazz*, et melius *musica jassica*, *ludus hockey*, et melius *hoccaeus*, *hoccejus*.

VIII) Voces hybridae, quae vocantur, quantum fieri potest expungendae quoque ab usu sunt:

De quibus Heinrichius: (p. 53-54) «Ceterum quamvis Latini sermonis castitas hujusmodi vocabula vix ferat: quaedam tamen probasse usu animadvertisimus; earumque recensum dedit Quintil. lib. 1, *Inst. Orat.* c. 5». —Inter illas voces enumerat «*archiducis titulum*» et *archimarscallus* (nonne rectius *archimarschallus*?). Cfr. etiam *autotraha*, *autobirota*, similia.

IX) E substantivo recens invento, aliquotiens adverbium facile deducemus; saepissime verbum aut aliam derivatam vocem eruere non licebit.

Sic admittuntur *telephonum*, *telegraphum*, *telegraphic*, *bomba*; de verbis *telegraphare*, *telephona-re*, *debombare* varie est disceptatum. (1)

X) Voces Latinae sunt quae scriptoribus de suis rebus aut studiis pertractantibus concedantur; quae tamen parce ab aliis adhibeantur.

Sic: *actualis*, *idea*, (*homo*) *idealis*, *egoismus*.

XI) Doctis hominibus qui litteris Latinis apprime sunt versati quorumque oratio colore ac nitore Latino prae fulget, major impertienda est facultas ac libertas in non nullis novatis vocabulis proferendis, caute tamen et juxta normas superius traditas. Alumnis tamen ea libertas summe est mode-randa ac fere dixerim interdicenda.

XII) Quod genus nominibus ex hodiernis linguis desumptis adscribere oporteat, a doctis viris est etiam investigandum: utrum *anilina*, *aspirina*, *mi-nutum*, *secundum* (juxta linguam Hispanicam), an *anilinum*, *aspirinum*, *minuta*, *secunda* (juxta linguam Germanicam).

Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F.

## Ad PIUM X quem Sanctum Papam dixerunt

### H Y M N U S <sup>(2)</sup>

Pius beatus, dum Petri sedem regit,  
In Christo amanter omnia instaurare avet;  
Iudex supremus, haeresim damnat novam;  
Servus fidelis, charitate patria  
Panem Angelorum frangit ipsis parvulis.  
Fervens amore, vult Dei nitere Opus;  
Melos decorum templa curat reddere;  
Agnos ovesque pascit atque praecipit  
Mores prioris aemulari Ecclesiae:  
Occumbit ipse sancta pacis hostia.  
Laus sit Parenti, sitque Nato gloria,  
Compar resulter Flaminii laudatio:  
Tribus potestas, atque eorum munere  
Nobis placatus Sanctus adsit Pontifex  
Votisque cunctis semper annuat pius.

Isaac M.<sup>a</sup> TORIBIOS RAMOS, O. S. B.

In monasterio Silensi Abbas.

(1) Cfr. Bacci, *varia Latinitatis scripta*, p. 140. PALAESTRA LATINA, 1951, p. 30.

(2) Qui heic sanctitatis tituli veniunt, nihil nisi privatee pietatis sensa auctoris prae se ferunt.

# Nova et Vetera

## I. — Capillorum cura apud Romanos

Corporis curam primo mane, cum e leto surgebant, fere neglegebant Romani. Nam ut palam prodirent — ubi manus et faciem abluerant — calceos inducebant togamque sibi imponebant. Praecipuam corporis curam sub vesperam in balneo exercebant.

Capillorum et barbae cura apud omnes gentes ad humanitatem excutas magni quidem fit. Romani tamen prioribus temporibus intonsi fuerunt — ut audor est Varro — ac sine tonsoribus, quos ex Sicilia in Italiam Ticinus Mena anno CCCCLIV adduxisse fertur. Antiquorum enim statuae capillum et barbam promissam praebent. Scipio Africanus primus, qui cotidie barbam radebat, perhibetur; quem Romae primores secuti, ut Julius Caesar, Augustus, cet. Attamen adolescentes barbam dimittebant usque ad ejusdem depositionem, illamque lanuginem sollemni ritu deo capitolino vel alio deo sacrabant; deinde aliquantum temporis barbulam promittebant, ac deinceps diligenter radebant.

Fuerunt Romae ex primoribus qui tonsores apud se haberent, quique dominorum capillos tonderent barbamque raderent. Plerique tamen tonsores adeunt qui, aut sub dio artem suam exercent et viatores alliciunt, aut in tabernis ubi tonsiniae sunt constitutae. In tonsiniae clientes in scannis assident ac, dum vicem spectant, de omnibus quae hinc inde a civibus publice ac privatim nunc circumferruntur, amice confabulantur, —nam ea est «sedes otiosis apta»—, adeo ut — quod etiam plerumque fit — tonsiniae rerum novarum quasi officinae sint, resque lippis nota ac tonsoribus, sit quae apud omnes constet.

Ad tonsiniae parietem vel in mensula specula, pectines, forcices, cultri, cultelli, novaculae, volsellae<sup>1</sup>, calamistri<sup>2</sup>, unguenta sunt apposita et cultellus tonsarius<sup>3</sup> ad resecandas ungues: ipsi enim tonsores et ungues curant.

Capillos aut tondent ad cutem<sup>4</sup> seu radunt, aut forcibus strictim<sup>5</sup> vel per pectinem tondent<sup>6</sup>; comam diligenter curant viri sed in primis mulieres, quarum varia comendi forma in sequenti fasciculo enarrabimus. Saepe inaequali ratione<sup>7</sup> imperitus tonsor capillos tondet, quod saepe scituli adolescentes — ut est apud



Horatium (*Epist.* 1, 1, 94) — queruntur. Cinerarii seu ciniflones<sup>8</sup> calamistro capillos flectunt.

Barbam novacula seu cultro tonsorio radunt, quam laminitana<sup>9</sup> — lapide ex Hispania advecta — acuunt. Alii ne cottidie ad tonsorem adeant dropaci<sup>10</sup> unguento depillatorio utuntur aut psilothro<sup>11</sup> aut volsellis pilos evellunt; de quibus acute: Martialis, 8, 47:

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est  
pars vulsa est: unum quis putet esse caput.

Alii splenia<sup>12</sup> lunata<sup>13</sup> in facie appingunt de quibus iterum Martialis, 2, 29

Cujus olet toto pinguis coma Marcellano  
et splendent vulso braechia trita pilo...  
et numerosa limunt stellantem splenia frontem.  
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

En tibi Domitilla, Flavii filia, quae diem natalem agitat ac tota ab ornaticibus componitur ut salutantibus ornata ac bene pexa prodeat. Sedet in sella tonsoria, circum umeros involucrī<sup>14</sup> obtegitur ne defluentibus forte capillis commaculetur. Vultum in speculo contemplatur; promissam caesariem diligenter atque curiose hodie curat, unguenta robat ut coma splendeat odoremque diffundat. Ornatrix primum capillos pecline explicat<sup>15</sup>, passos errantesque colligit, quos aut pone occipitum submittet nodo-



que vinciet<sup>16</sup>, aut calamistro intorquebit<sup>17</sup>, aut circum caput rejicit, aut capillorum nexus implicabit<sup>18</sup>, aut qui ad frontem sunt in circinnum<sup>19</sup>, in anulum<sup>20</sup> inflectet eosque tandem acu, crinali<sup>21</sup>, vitta ornabit atque redimiet: de quibus iterum prolixior erit sermo.

#### VOCABULARIUM

1 volsellae, arum, f. pl.,	pinzas
2 calamister, tri, m.,	tenacillas, mediacaña
3 cultellus tonsorius,	cuchilla para cortar las uñas
4 tondere ad cutem,	cortar al rape
5 striūm tondere,	cortar al rape, a raíz de la piel
6 tondere per peclinem,	dejar el cabello medio corto
7 inaequali ratione tondere,	hacer escaleras
8 cinerarius, ae, cinislo, onis, m.,	rizador, peluquero
9 laminitana, ae, f.	piedra de afilar

10	dropax, ácis, m.,	unguento depilatorio
11	psilothrum, i, n.,	nuez blanca, pasta depilatoria
12	splenion, ii, n.,	lunar
13	splenia lunata,	lunares postizos
14	involucrē, is, n.,	peinador
15	explicare capillos pectine,	desenredar el cabello
16	nodo vincire, in nodum colligere;	
	crines nodare, crinem nodo sub-	
	stringere,	recoger en nudo, hacerse el moño
17	calamistro intorquere,	rizar
18	implicare capillorum nexus,	hacerse las trenzas
19	cincinnus, i, m.,	rizo
20	anulus, i, m.,	bucle
21	crinale, is, n.,	aguja para el cabello

# Lucretiana 1950<sup>(1)</sup>

## LIBER SEXTUS

- 32 et quibus ec portis.  
 59 sei tamen; «sei» = si.  
 86 ne trepidas; ne = νή, certo vel certe.  
 98 pugnantibus aestis; «aestis» = aestibus; quarta declinatio in secundam transiit.  
 102 corpore nubae; «nubae» = nubes; est forma vulgaris et analogia ad «nebulae».  
 103 sunt crepides ac tigna; «crepides» = fundamenta; cf. Th. l. l. «crepida».  
 112 fragilis crepus; «crepus» onomatopoëtice; cf. 6.155 flamma crepitante.  
 129 dat omissa fragorem.  
 151 succensa recenter.  
 155 sonitu in flamma crepitante.  
 172 ec simili causa.  
 202 cavis flamas fornacibus.  
 203 divolsa fugerunt nube.  
 223 saeve accendunt; «seve» olim scriptum, e pro ae in prisca scriptura invenitur.  
 237 usque adeo cellens fervore.  
 245 neque jam promissis.

(1) Cfr. fasc. sup.

- 359 tempora se sertis florentia; «serta» cf. 4. 1178.  
 365 fulmina nubis; «nubis» = nubibus; K 1.344-346.  
 368 postrema frigoris; cf. Th. l. l. «frigor» 1332.  
 382 perquirere mente; «mente» = mentis = genitivus priscus.  
 437 (436 ventus). vis et fervorem; constructio haec est: et vis (sc. venti) concinnat fervorem.  
 447 vim provomit atque protelat.  
 473 quod magis ad nubis jungendas; «quod» = ablativus priscus «quo» desinens in -d.  
 481 signiferi subs aetheris aestus; «subs» est forma nativa quaedam praepositionis «sub» et pertinet ad 481 urget; cf. 6.482 subtexit; ad «subs» spectat «susque deque»; cf. suburgeo VERGILIUS, *Aen.* 5. 202.  
 483 extrinsecus ille; «ille» = scriptio prisca pro «illi» = ibi; K. 1.1019.  
 490 tam magnis montis; «montis» = montibus sc. nebularum.  
 521 nimbique riguentes; «riguo» nova forma verbī rigandi est; cf. riguus; sicut «urgueo» ad «urgeo» attinet.  
 533 quo pacto fluctant; «flucto» 3. conjugationis, cf. 4. 77 ubi «fluctunt» ex codice Quadrato recuperari potest.  
 537 supera truculentis undique plenam speluncis; speluncae non sunt ventosae, sed truculentae aspectu.  
 541 volvere chir fluctus summersos vesca putandumst; «chir» a scriba non jam intellectum in «vis» mutatum est (UIR = VIS palaeographice); «chir» indeclinabile significat: in specu; K 1.387 chir = χειρ.  
 586 in Peloponneso: ques exitus hic animai; «ques» = qui vel quas, vel quales = nominativus vel accusativus pluralis; K 1.612-613, St-Sch 287, hoc modo sententiae construantur oportet: 585 quod in Syria... accidit, et in Peloponneso... fuit: ques (=quales vel quas) urbes exitus animai et terrae motus disturbavit (= disturbavit) «disturbat» est perfectum ut «inritat» 1. 70.  
 605 tellus substracta feratur; «subs» est forma prisca vocis «sub».  
 743 remigiom oblitate; «obliviscor» cum accusativo.  
 755 ipsa suaded; «suaded» = ita, sua propria ratione.  
 820 spatium caeli quoddam; «quoddam» = hypallage adjectivi pro «quadam» fortasse «de parte» valet idem ac «partim».  
 833 ubi ec regione.  
 849 frigidax et calidus; «frigidax» est nova forma adjectivi «frigidus», cf. O. Gradenwitz: *Laterculi vecum latinarum* (Lepsiae 1.904) 542.  
 865 extemplo sonibus frigescit.  
 925 frigus ut af fluiis; «af» = forma prisca vocis «ab»; cf. 4.288 av; cf. K 1.924.

EMIL ORTH

# De conjunctionum *quod*, *quia*, *quoniam* usu abolendo

—in subjunctis propositionibus enuntiativis—<sup>(1)</sup>

Auctoribus, quos potissimum medii aevi scriptores sequebantur, breviter enumeratis Carolus Strecker suam de Latinitate mediae aetatis disputationem hoc fere modo concludit:

«Litterae quidem mediae aetatis sunt omnium gentium, sed si quis universam rem considerat, ei tamen facile non est ex sermone, quem quisque adhibuerit, dijudicare, cujas fuerit auctor, cui quis modo operam dat, nisi forte sermo ejus patrius genus scribendi infecerit. Rursus ex iis, quae dicta sunt, efficitur, ut Latinitas medii aevi non sit universalis, una, aequabilis. Quam ob rem postulandum est, ut ex arte indagetur, quo singuli auctores seorsum usi sint sermone, quam adhibuerint dictionem, ad quae sese applicaverint exempla».

Ut summam faciamus: vidimus aequabilem et unum non fuisse sermonem medii aevi, nedum vivum fuisse credamus. In scholis addisci necessarium erat. Ita consentaneum est Latinitatis mediae grammaticam non eodem modo posse concinnari, quo sermonis classici. Notari possunt solummodo notae quaedam singulares, quibus discrepet Latinitas mediae aetatis a lingua veterum Romanorum. Neque Latinum sermonem medii aevi cum Latinitate Ecclesiastica confundere licet, in qua re Carolus Strecker non satis distinxisse mihi videatur. Quid enim est Latinitas Ecclesiastica? Sermo, quo theologi in disputationibus utuntur? An sermo qui in Pontificum Maximorum litteris encyclicalis ad classicam venustatem assurgentibus adhibetur? An sermo denique, qui sese nobis offert in libris liturgicis? His interrogationibus illico manifestum fit, quam confusa et inconstans notio sit nomen Latinitatis Ecclesiasticae. Quam si sermonem usui Ecclesiae inservientem esse dicis, rem quidem in genere attigisti, sed vim et naturam Latinitatis Ecclesiasticae amplexus non es. Sed rem significavisse satis est. Forte postmodum occasio erit de hac re accuratius disserendi.

## Historia usus particularum «*quod*, *quia*, *quoniam*» in propositionibus enuntiativis

Quoniam a viro non levissimae auctoritatis cognovimus, ex quibus capitibus tamquam ex fontibus Latinitas medii aevi promanavisset, jam de con-

(1) Cfr. fasc. sup.

junctionum *quod*, *quia*, *quoniam* in subjunctis propositionibus enuntiativis usu, quod est propositum, fusius et uberior dicamus. Notum est per omnia Latinitatis tempora inveniri exempla, ex quibus colligitur «verbis intellectus et linguae» interdum conjunctionem *quod* cum verbo finito pro accusativo cum infinitivo subjungi, ex. gr. apud Plautum, Ennium, Belli Hisp. auctorem, Petronium, Celsum, apud auctores igitur, qui opera consulta sermonem usuelam aut prolativum exprimebant. Locos singulos exscribere supersedeo, ne commentatio in spatium nimis excrescat. Verum inde a Tertulliani aevo usus particulae *quod* simul cum intimo sermonis integri sensu decrescente crebrescit. Quod ad poëtas, qui post Chr. n. fuerunt, «*quod*» primum apud Comodianum scriptum legimus. Sequitur igitur, ut poëtae magis sermoni emendatiori et castiori studuerint quam prosaici. Lactantius porro, quem Hieronymus quodam fluvio eloquentiae Tullianae usum esse dixit et Picus Mirandulanus nomine Ciceronis Christiani insignivit, dependentes propositiones enuntiativas particula *quia* inchoare primus ausus est. His particulis tertio quodam partu apud divos Cyprianum et Augustinum succrevit conjunctio *quoniam* eadem significatione. Neque tamen accusativus cum infinitivo plane adhiberi desitus est. Immo praevalet haec verborum structura eis locis, ubi Patres Ecclesiae sua ipsorum cogitata et sensa ex ingenii ubertate proferunt, cum locos e Scriptura Sacra laudantes particulis *quod*, *quia*, *quoniam* dent praecipuum.

Sed videamus, quā haec evolutio fieri potuerit. Etenim qui novum usum harum particularum veteribus Scripturae Sacrae translationibus tribuunt, mihi rem magis inchoavisse videntur quam absolvisse. In qua re a Carolo Strecker dissentio. Meo humili judicio aliunde illae conjunctiones hoc subrepserunt.

Satis autem exploratum est, duo fuisse genera conformatioonis enuntiatorum, parataxim nempe et hypotaxim. Parataxis in consuetudine sermonis Latini dominabatur, hypotaxis sermonis classici litteratorum propria erat. Exhausta vi creatrice sermonis politioris et paene exsiccata parataxis velut cuneo facto etiam in virorum eruditorum linguam adeo irruptit, ut auctores pro sua inertia sententias interciderent, enuntiata brevia plus aequo quaerarent sententiarumque acumina aucuparent. Classicum genus dicendi infrictum erat. In locum deinceps tacitae majestatis et nativae gravitatis succedebant aut hispidus archaismus aut tumidus et vulgaris asianismus aut elocutiones inanes et pingue sonantes. Sanum desideratur judicium, frigida et arida ubique regnat rhetorica. Hanc orationem fucatam et manu factam Latinitati maxima intulisse damna facile credas. Neque mirum, si saeculis antiquitatis vergentis docti christiani similiter ac cynici et stoici illi philosophi peregrinantes, perfracta quasi crusta glaciali, quae doctiorum linguam saeculis vertentibus supertexerat, popularem sermonem virentem et vivacem, ex quo eis aura verena afflare videbatur, cupidostudio sectati sunt. Quo amore sermonis popularis particularum *quod*, *quia*, *quoniam* pro accusativo cum infinitivo usus adiutus et insolenter auctus est.

JOSEPHUS HOLZER

Lebach (Realgymnasium)

(sequar)

# Commercium epistulare

*Josephus Holzer, gymnasii rector, Josepho Jiménez C. M. F., sal. plur.*

Tandem, post XVIII annos —anno enim hujus saeculi XXXIII de PALAESTRA LATINA primum audivi ab editore ephemeridis cui titulus SOCIETAS LATINA—, aditus patet ad PALAESTRAE LATINAE sanguine Jovae martyris purpuratae moderatorem clarissimum. Sed temporis iniquitate factum est, ut tum rationes cum PALAESTRA LATINA conjungere non liceret. Quo laetiore animo et libentiore consilium secreto coctum, sed in cordis intimis diu tectum jam exsecuturus sum. Velim enim, Jiménez mi, me pactione facta in PALAESTRAE LATINAE album referas et ab initio hujus cursus anni fasciculos commentarii, cui praees, nulla interposita mora mihi transmittas. Insuper commentationem «de conjunctionum quod, quia, quoniam in subjunctis propositionibus enuntiativis usu abolendo» conscripsi. Quae si tibi apta visa erit atque digna, quae in tua PALAESTRA LATINA vulgetur, en tibi vindica jus feturam exigui ingenii mei foras dandi. Haec hactenus...

Cura, ut valeas, et perge tueri acerrimo animo rem Latinam.

Dat. Lebach, XVI Kal. Apr. MCMLI.

*Josephus Jiménez, C. M. F., Josepho Holzer, Gymn. Rectori S. P.*

In hac sede Salmanticensi, ubi dego ferme duos abhinc annos, excepti, libenterque legi commentationem tuam de conjunctionibus *quod, quia, quoniam* quam ad actuariam PALAESTRAE LATINAE commendatam misi eamque a clmo. v. Jos. M.<sup>a</sup> Mir, navo et sedulo moderatore nostro, benigno gratoque animo acceptam novi atque mox in fasciculo commentarii jamjam prodituro edi coeptum iri. De inscriptione tua inter subnotatores PALAESTRAE LATINAE et de fasciculis ad te mittendis rettuli ad administratorem. Te pro omnibus amo et gratias quam maximas tibi reddo.

Ab anno MCMXXXIII, suavissime collega, quantae rerum et litterarum Latinarum perturbationes atque excidia! Nos aprorum et taurorum, ut ita dicam, incursiones passi sumus, qui cornibus et dentibus omnia impeterent, sive divina sive humana jura. Occubuit, inter alios sexcentos, desideratissimus noster Emm. Jové, vir simplicitate simul et humanitate praeditus, et quidem martyrio glorioso. At PALAESTRA LATINA, pace demum in dizione Hispanica firmata, ad ludos se iterum accinxit atque processit.

Ad vos autem quod attinet, quot et quantas exspoliationes, ruinas, cades, exilia immane bellum cumulavit! Anno proxime transacto, a Claretianis fratribus in vico Weissenhornio apud Ulmam amicissime receptus et jam in patriam reversurus, cum Francofurtum, Wirceburgum, Monachum peragrem. quinque jam annis a fine belli elapsis, horruī tamen in conspectu ca-

suum, quales nec cogitari nec credi posse videntur. Ubique horrentia belli vestigia, quarum animus nunc quoque meminisse refugit.

Atque in hac omnium fortunarum rerumque jactura et naufragio Latinae quoque litterae voraginibus submersae perierunt. Ubinam gentium sunt moderatores et conscriptores commentariorum Latinorum, qui sermonem Latinum evulgandum suscepereant? Quando PALAESTRAE LATINAЕ nostrae cum «Societate Latina» Monacensi, cum «Juventute» Hungarica, cum «Lygia» Warsoviensi, cum «Alma Roma» et «Per lo studio e l'uso del latino» iterum colludere licebit? Optime Josephe, si quid de collegis Lurz, Dutoit, Lis, Potuced, Galassi-Paluzzi, Terzaghi, Wagner, Palata, cet. cognoveris plurimum me amabis si me certiore feceris.

Ob mihi optata fausta gratias ago, Deumque precor ut iisdem fruaris aurguriis quae pro me ominabarisi. Etiam atque etiam vale.

Salmanticae, VIII kal. majas a. MCMLI.

*Josepho Mariae Mir, sacerdoti reverendo ac moderatori  
PALAESTRAE LATINAЕ clarissimo Joseph Holzer s.*

Epistulam quidem, qua ut fasciculi PALAESTRAE LATINAЕ mihi transmittentur, magnis oravi precibus, falso destinavi ad v. cl. Jos. Jiménez, quem moderatorem illustris ephemeridis esse putaveram. Sed, fasciculis pr. id. apr. redditis, cognovi omnia prospere accidisse. Tamen te per deos et homines oro obtestorque, ut meum ignoscas mihi errorem. Jam accipe, qua ratione tres fasciculi PALAESTRAE LATINAЕ mihi redditi sint. Sedeo in officio gymnasii ad mensam scriptoriam officialibus litteris nomen subscribens, ut ad diem certam destinatum attingant. Subito sonat telephonium. Admoveo auditoriam concham auri. «Adsum director gymnasii. Quis adest?», interrogo telephonium. «Celeriter, celeriter huc ades! Advenit una aliqua te salutatura ex terra longinqua». Nuntiavit uxor mea scite dilecta. Repono in furcula vocis receptorem. Statim magnis passibus peto habitationem privatam in eodem gymnasii aedificio sitam. Gravibus defixus in cogitationibus propero ad penates, plane incertus, quae me visura sit femina, sed anima praeagiens magnum aliquid mihi accidisse. Sic intro vestibulum. Coram adstat mea uxor cavillantis more subridens manibus post tergum replicatis. «Quis advenit?», interrogo. «Tibi ostendo et offero, inquit, .. PALAESTRAM LATINAM». Arripio, agito manibus thesaurum, depono corporis mei pondus in cathedra molli, quae in vestibulo posita est. «Gratia superis!». Nihil ultra profero, jam totus in nominibus et moderatoris et administratoris interpretandis. Percurro oculis, quae typis mandavisti nov. decembrique anni praeteriti, perlego, quae jan. februarioque atque martio et aprilii excudenda curavisti. Atque raptus lectione PALAESTRAE LATINAЕ non sensi fumisugium —scito me fumandi cupidissimum esse— tabaco consumpto jam diu friguisse, id quod mihi raro accidit. Sed est indicium meum animum ephemeride, cui moderaris, jucunda captum in altero vérsa-

tum esse velutī mundo. Hora circumacta pedem in officium gymnasii rettuli animo elato et hilari mea munia directoris post festivam intercapedinem toleraturus. Post meridiem studium PALAESTRAE tuae scholasticis laboribus intermissum revocavi. Primum determinavi situm Barbastri. Consulta Claudiī Ptolemaei Geographia lib. II, c. 6., p. 67 inveni Barbastrum esse idem, quod Bergidum. Tum Atlantem Hierarchicum, quem Streit edidit, perscrutatus cognovi in Latinitate Curiae Romanae nomen urbis tuae esse Borgidum. Positum esse ad laevam ripam Veri fluvii, qui in Cincam flumen incidit. Situ sedis tuae veluti expiscato accuratori lectioni fasciculorum, quos benigne misisti, maxima diligentia incubui et animū praeprimis in dicendi genus. quo in concinanda ephemeride usus es, intendi. Ingenio in laetitiam vocato ingenuē meum de PALAESTRA LATINA judicium sic pronuntio: Omne punctum tulisti, qui miscueris utile dulci. Latinitas pura, facile fluens, volubilis, auream inter extrema persequens mediocritatem, cum judicio adhibita. Laudo, laudo tuam sollertiam. Macte virtute tua! Id unum doleo, quod non inde ab illustri tua ephemeride condita ilico tecum, vir doctissime, rationes conserui et hoc demum anno viam ad PALAESTRAM LATINAM nactus sum. Ne queramur de praeteritis! Laetemur de iis, quae auspicato data sunt nobis praesentia.

Restat, ut pro tua erga me benevolentia, quam perlibenter agnosco, maximas tibi agam gratias. Velim tibi persuadeas nihil me magis optare quam ut tuis in Latinitate consiliis numen adspiret, et me omnem diligentiam, omnem laborem, omnem operam, quam diu ero inter mortales, collaturum esse, ut tua studia linguae Latinae nostris temporibus adaptanda ead exitum perducantur optatum. Quid tibi, dulcissime rerum, de mea commentatione, quam «de conjunctionum *quod, quia, quoniam* in subiectis propositionibus enuntiativis usu abolendo» inscripsi? Dabiturne ei spatiolum in PALAESTRA LATINA exiguum? Vale et me ama!

Dat. Lebach, VIII Kal. Maj. a. MCMLI.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. Dri. Josepho Holzer, Gymn. Rect. sal.*

Epistulam tuam cum lucubratione «de usu conjunctionum *quod, quia, quoniam, abolendo*» ex sede Administrationis Barcinonensis acceperam, quas transmittendas carissimo socio P. Jos. Jiménez putavi cum ad eum verba faceres. Eodem vero die ac punto temporis mihi redditae sunt et jucundissimae ac lepidissimae litterae tuae VIII kal. majas datae et responsio, quam ad te mitto, Patris Josephi Jiménez.

Omnia, doctissime vir, es perbelle scrutatus: sedem nostrām ēt urbem invenisti, nosque ad latinitatem una vobiscum propagandam renovandamque paratos et scis et habeto semper.

Quod PALAESTRA nostra LATINA tantam tibi laetitiam ac solacium attulerit pergratum nobis est; utinam assidua opera tua et inter Lyceorum Professores et inter superiores alumnos non nulli nobis adnumerentur lectores; ac dum pro litteris Latinis plurimum adlaboras rebusque nostris obsecundas, vale.

Barbastro, kalendis majis, a. MCMLI.

# Bibliographia

J. SAUNIER. — *Vocabulaire Grec*, 209 pg.,  
Gigord, Paris,

In hoc Vocabulario Graeco tria milia quingentae fere voces sermonis Attici seliguntur, ordine alphabeticō digestae, quarum praecipuae atque usitatae significaciones apte proponuntur; verba composita simplicibus subjiciuntur, additis quoque non nullis locutionibus. P. Laliberté in vocabulario cui nomen «Vocabulaire pratique» in simplices stirpes seu familias verba ordinat, Dnus. vero Martín in illo «Mots grecs» sub etymologis aliquantum captu difficultioribus vocabula dixerit, in hoc vero Dnus. Saunter ordinem alphabeticum retinet; in eo etiam selectiores notantur voces, verbum tamen οἰοπαὶ omissum reperimus ac non nulli accentus errore laborant. Hujus operis momentum ac praestantia illud commendat quod radices, suffixa, particulas peculiariter studio pertractat. Quae quidem dilucide patefactiūt propriūm hujus operis locum inter alios auctores si ex. gr. cum illis a Dnis. Breal-Bailly et Fontaynont conferantur.

A. PLANAS, C. M. F.

A. CAYUELA, S. J. — *Doctrina de Oratoria Sacra*, 79 pg. Collegium Verolense, MCML.

Qui libellum de oratoria sacra ejusque generibus diutius desiderarunt, hoc brevi sed magni ponderis opusculo a clarissimo et litterarum peritissimo professore conscripto, quam recte auctor praecipua sacrae disciplinae capita brevi sane ratione comprehendenter ipsi judicabunt.

De his enim rebus agitur: de principiis generalioribus, de oratoris sacri institutione, de magistris praestantisimis, de oratoriae sacrae materia, fontibus, generibus, de ipsa contione con-

siderenda, de auditoribus, de animi motibus christianis.

Extremum opus exornat abundans bibliographia et appendix praecipua argumenta Litterarum Encyclicarum recentioris temporis complectens.

Libellus tum accurato sermone Latino, tum mira brevitate omni commendatione dignus et magistris qui sacram orationem sunt tradituri et alumnis qui sese ad divinū verbi ministerium exercent, magno usui profecto erit.

M. MOLINA, C. M. F.

M. GRAMMONT, — *Phonétique du grec ancien*, edit. IAC. Lyon, 1948; pp. XX-456.

Idem egregius magister qui *Phoneticae Tractatum* conscripserat, hanc Linguae Graecae Phoneticam exaravit. Quod autem hunc librum ab aliis secernit illa est explicandi ratio Phoneticae Graecae sese evolventis sub legibus «remissionis in articulatione» (*le relâchement de l'articulation*) et «progressus basis articulatoriae» (*l'avancement de la base articulatoire*). Primum aspirantes (σ, ι, Φ) intensiore investigatione perpenduntur; deinde in altera parte vocales, tandem in tertia radices et vocabula; in quibus exquirendis ac pertractandis methodum, quam vocant, historicam A. adhibet, dum comparativa innexus, comparationem cum aliis linguis indis-europaeis instituit, Commodus quidem liber manualis, perspicue typis excusus, quin illam Dni. Lejeune (Klencksteck, 1947) amplitudinem complectatur, nulla ad marginem apposita nota sed magna exemplorum copia ad probationem adhibita.

*Colección Escolar de Autores Griegos comentados*, edit. S.E.I. (PP. Salesianos, Alcalá, 164, Madrid).

1. Esopo (30 fábulas), Díaz-Regañón, pp. 31.

2. Lisias, *La Doquimasia*, 32 pp.  
 3. Luciano, *El Sueño*, Díaz-Regañón, 33 pp.  
 4. Homero, *Iliada I*, 56 pp.  
 5. Anábasis I, 62 pp.  
 6. Lisias, *contra los Trigueros*, Agud Querol, 18 pp.  
 7. Lisias, *Defensa del Olivo*, 30 pp.

Domum Editricem Hispanicam (S. E. I.) summis laudibus cunulare oportet quae in scholarium nostrorum manus hos septem libellos defert, ex quibus alii ab editione domus SEI Augustae Taurinorum desumpti videntur, alii vero similem secuti viam ac rationem; omnes tamen opportuna introductione et copioso commentario ditati qui ad historiam et praecipue ad syntaxim referentur. Opus perfectius arbitramur si, una cum modico quo constant pretio, typorum species amplius eniteret; quem tamen defectum elaboratum commentarium grammaticale compensat votaque nostra complet

A. P., C. M. F.

DR. LUDWIG VOIT UND HANS BENGEL. — *Römisches Erbe*, Ein Lesebuch lateinischer Literatur. Bayerischer Schulbuch Verlag, München, pp. 381, 1950.

Qui hujus operis inscriptionem legerit forsitan prima fronte putaverit quaestitionem agitari de Romana origine europaea culturae vel disceptationem de Romanorum efficientia in eo contineri. Quod tamen quamvis operi non omnino alienum — adest enim simplex certe sed perfecta rerum expositio — opus minime constituit ut satis ex subinsciptione patet et operis examine confirmatur. Volumen igitur aptius collectionem dixi specimen rerum ac litterarum, quae posteris consideranda Roma reliquit, continentem et earum quasi summam offerentem, quae ad nos pervenerunt.

Post introductionem, conspectus generalis historicus, scriptores nobilissimos litterarum Latinarum complectens, exhibetur (pp. 3-14), eorum deinde

selecta fragmenta ordine chronologico proponuntur a legibus XII Tabularum ad S. Augustinum suis temporibus disposita (17-323). In singulis auctoribus vitae operumque compendium atque judicium breviter praecedunt Appendix instar aliqua excerpta adduntur publicarum scripturarum ac privatarum (323-6). Publili Syri sententiae (326-9), pauca de re metrica (329-32), pulchra omnino disceptatio de Romanorum arte, (332-43), tandem 97 photographiae summa arte selectissima charta explicantur, quae ordine suisque temporibus opere annexuntur. Due chartae geographicaeonomasticae quae memoriae discipulorum maxime juvabunt toto operi finem imponunt. Disceptationes de arte et litteris Romanis, brevitate, integritate, claritate in primis commendantur. Idem dicas de illa photographiarum explicatione. Ea quae de exterorum — et maxime Graecorum auctoritate et efficientia — ac de Romanorum sua novitate in artis operibus dicuntur, nobis perplacent. Tamen praeter Augustinum alias quoque, neque ignobiles, scriptores ecclesiasticos ut Lactantium, Hieronymum, Prudentium, cet. adnumerari ac proferri posse arbitramur. Auctores et editores ob industriam miramque rerum concinnitatem in opere laudamus dum alia exspectamus opera (*Grieschisches Lesebuch* et *Mitterlateinisches Lesebuch*) quae et alumnis superioribus et magistris magno commodo et utilitati in Latinis ac Graecis scriptoribus seligendis atque interpretandis profecto erunt

F. M. ALBA, C. M. F.

H. PETRE. — *Ethérie*, Journal de voyage. Texte latin, Introduction et traduction par H. P., 286 pp. Ed. du Cerf, Paris, 1950.

Arduum ac laudabile opus quod dominus Editrix «Du Cerf» suscepérat, edendae scl. collectionis «Sources Chrétien-nes», moderantibus clmisi. viris H. de Lubac et J. Daniélou, hoc novo opere *Peregrinationis Sylviae* completur.

**SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino.** Prólogo de D. Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.<sup>a</sup> edición revisada y ampliada con **LATIN ECLESIASTICO** por el cuerpo de redactores de **PALAESTRALATINA**.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

**SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino**, con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

**ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.**

6.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

**PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español**, con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

---

**PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.**

**«EDITORIAL SPES»**

Avenida de Carlos I, 149

BARCELONA -13

---


**Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis**

# **VINOS DE MISA**

## **DE MULLER, S. A.**

### **TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

### **Garantía de absoluta pureza**

**E X Q U I S I T A   C A L I D A D**

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

*Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis*

Quamvis hoc itinerarium Aetheriae — sicut alia opera e *Sources Chrétienne*s — minus ad humanitatis et philologiae studio sese referant, tamen haud parvam auctoritatem in philologicis habet. Nemo est qui ignoret hunc textum — ut E. LÖFSTEDT, *Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae*, Uppsala, 1911, probavit — utilissimum proferre instrumentum ac probationem ad Latinam Historiam posteriorem, si forte ut exemplum idoneum «sermonis cottidiani» — potius quam litteraril — saec IV desumatur. Narrat enim nobilis Matrona peregrinationes suis «dominis venerabilibus sororibus», vestigia non quidem classicorum sed vulgati sermonis atque versionis Bibliae insequens. Textus criticus est idem quem edidit P. Geyer in C. S. E. L., vol. 29, Venetiis, 1898. Versio Gallica, quae prima nunc exstat, fidelis ac genuina, perbene servat jucunditatem quandam ingenuam Virginis Galliae. Introductio magna cura ac diligentia, ut mos est in hisce editionibus, lectori ostendit, miram audacemque humanitatem Sylviae et peregrinationum ambitum historicum et geographicum.

E B. C. M. F.

J. GUILLÉN. — *Gramática Latina*, 2.<sup>a</sup> ed., Ediciones «Sigueme», 1949, Salamanca.

En tibi, benevolè lector, alteram editionem «Grammaticae Latinae» emen datam quidem non vero retractatam neque auctam, ut in praefatione assertur. Auctor novis vetera augere intendens, optima utriusque systematis — traditionalis nempe et historici — excerpere studet defectusque stimul utriusque devitare conatur.

Ita emendatam Grammaticam magistri Guillén non parum profuturam judicamus linguam Latinam callere cipientibus,

Niniti tamen philosophiae cura grammaticae obstare solet junioribus praesertim; quid ergo de illis: «El nominativo indica la sustancia como acto

absoluto»; «intransitivos ontológicos», «el vocativo indica la sustancia no en acto, sino en potencia (231), cet?

Non nullae etymologiae iterum erunt recognoscendae, nam a primoribus philologiae auctoribus maxime discrepant, illudque nobis persuasum est nullam proponendam etymologiam vel evolutionem phoneticam alumnis praesertim junioribus, quae vere probabili non sit et a praecipuis magistris non admittatur, ne postea superioribus studiis plura opus sit retractare minus recte ab aliis magistris tradita; sic:

587-620 *co-aseus* > *caseus*. [cfr. SOMMER, *Handbuch*, 127, Anm.].

608 *rigo* > *irrrigo*, *porrigo* [non *a rigo*, sed *a rego* procedit *po-rigo*; cfr. SOMMER, *Handbuch*, 86, Anm.].

614 634 *decet nos* > *decnos* > *degnos* > *dinnos* > *dignos*, [decet nos?; cfr. MEILLET-VENDRIES, *Gram. Comp.*, § 120: *dignus* de \**dek-no* (cf. *decel*)].

614 VIII *novatrix* > *noutrix* > *nutrix*, [*novatrix*?; aliter omnino ERNOUT-MEILLET].

621 II, 2 *medius* > *mesius* > *mesa*. [Itane est?].

635 *pus(us)* > *puslus* > *puglus* > *pullus*. [Cfr. ERNOUT MEILLET; profecto idem non est conjunctionem habere seu ejusdem esse stirpis ac phonetice procedere .. cfr. <-s implosive, dans le groupe \*-ssl- issu de \*-tsl-, est sourde et \*-ssl- devient -ll-: *pullus* < \**pus-slos* < \**put-slos*] JURET, *La phonétique lat.*, p. 27, f

649 *priscus* > *priscimus* > *priscmus* > *prismus* > *primus*. [cfr. SOMMER *Handbuch*, 299].

651 II, 2 *axilla* > *acs(i)lla* > *acslla* > *atsla* > *assla* > *aslā* > *azla* > *ala*. [Quod contra profecto est, nam *ala* non procedit ab *axilla*, sed *ala* efficit deminutivum «*axilla*» juxta WALDE-HOFFMANN et ERNOUT-MEILLET; cfr. SOMMER, *Handbuch*, 83, «*ala* aus \**äx-lä* (vgl. das Deminutiv *axilla* aus \**axlo-län*; cfr. etiam 140, 2)].

Praepositionum quoque etymologias iterum ad trutinam revocare oportet; cfr. PISANI, *Grammatica Latina*, 582-583.

## C O R R I G E N D A

In fasc. 127, p. 60, l. 29: *facilitare corrigē fābitare*.

# Compositiones Vertendae

## CICERON (V)

Primeramente ordena con gran acierto la materia (64) y la desarrolla con argumentación ceñida, otras veces con más profusión (65), según lo exigen las circunstancias (66), y como buen filósofo (67), sabe (68) de los estrechos términos de una disputa particular, remontarse a los principios universales (69). Así como (70) fué grande en él la facilidad de palabra (71) para mover todos los afectos (72), así (73) sobresalió él (74) en lo patético (75), que es el momento cumbre del orador (76).

NOTAS. (64) *Inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque componere.* (65) *Argumenta vel adstringere breviter vel dilatare.* (66) *Prout res postulat.* (67) *Ut philosophus.* (68) Verbo fraseológico. (69) *A privata ac singulari controversia ad universi generis vim explicandam se conferre et convertere.* (70) *Cum.* (71) *Prompta et parata celeritas.* (72) *Audientium animos in omnem partem permovere o commutare animos atque omni ratione flectere* (73). *Tum, tum maxime.* (74) *Admirabilis exstare.* (75) *Patheticus* no es palabra latina; digase *miseratio*, que es la parte del discurso en que el orador trata de mover a compasión. (76) *In qua una vis oratoris est o quod est eloquentiae maximum.*

## INGRATITUD DE UN SOLDADO DE FILIPO

Un soldado, al partir (1), prometió acudir (2) en breve (3) al rey Filipo y pedirle dinero para poder corresponder (4) a su huésped (5). Presentóse (6), pues, a Filipo y contóle su naufragio, pero calló el auxilio del huésped y enseguida pidió que le diera en propiedad (7) los predios de cierto macedonio. Los predios eran del mismo huésped que le había recibido y sanado. El cual, habiendo sido expulsado de su hacienda, no soportó en silencio la ofensa (8), sino que escribió a Filipo una breve y franca (9) epístola. Después de leerla, el rey encendido en ira, ordenó a uno de sus servidores (10) que se restituyeran las propiedades (11) al primitivo (12) dueño. Luego llamó ante sí al soldado y mandó marcar (13) en él estas ignominiosas palabras: «Es un ingrato» (14).

NOTAS: (1) *Proficisci.* (2) *Adire.* (3) *Mox.* (4) *Gratiam referre.* (5) *Hospes.* (6) *Se conferre.* (7) *Donare.* (8) *Non injuriam tacitus ferre.* (9) *Liber.* (10) *Minister.* (11) *Sua.* pl. n. (12) *Prior.* (13) *Inscribere.* (14) *Ingratus homo.*

Ordinarli ac Superiorum licentia

---

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

---

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.